

quoque (nisi fallor) vitæ commeatusque subsidium præbuit Propter tantos viros meritumque ac memoriam tantorum patrum nunquam intermorituram, hoc iam confido : tantulam gratiam miserrimo illorum nepoti archiepiscopo concedetis. Nec refricabo vobis recentioremem memoriam singularis illius beneficii a nostris Græcis in ecclesiam occidentalem collati, quum capta ad annum Christi M.CD.LIII Constantinopoli, direptoque a Turcis orientali demum imperio, græcæ litteræ bonæque perinde artes ac disciplinæ omnes a cardinali Bessarione, Chrysolora, Gaza, Trapezuntio, Chalcondyla, Musura (*sic*), Gemisto Plethone¹, Lascare atque aliis in Italiam (ex qua DCC fere annos exulaverant) reduci ac deinde in alias Europæ latinæ partes, Lutetiamque vestram post annos circiter LXX, Hermotimo² Spartano ludum inibi litterarum græcarum patribus vestris primum aperiente, perferri atque diffundi cœptæ sunt. Ita nostris debetur ex orbe vestro pulsa denuo ac dissipata ignorantia, quæ nostras heu! subinde vicissimque regiones, iusto dei iudicio, miserabiliter adhuc invasit, obtexit, excæcavit.

Det vobis (eminentiss. ac reverendiss. antistites) benignissimus deus in illa vestra pietate atque eruditione maxima, in illo florenti ecclesiæ gallicanæ statu, diuturnam pacem ac felicitatem in Christo Iesu. Amen. Amen.

374

LEONIS ALLATII DE LIBRIS ECCLESIASTICIS GRÆCORVM, DISSERTATIONES DVÆ : Quarum vnâ, diuinorum Officiorum potiores & usitatiores Libri percensentur : Alterâ, Triodiam, Pentecostarium, & Paracletice examinantur. PARISSIS, Sumptibus SEBASTIANI CRAMOISY, Regis, & Reginæ Regentis Architypographi, ET GABRIELIS CRAMOISY, viâ

1. Il est à peine besoin de faire observer que Pléthon et Chrysoloras étoient morts antérieurement à la prise de Constantinople par les Turcs.

2. Il faut écrire *Hermony*.

